



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CXCVI. Der Erzbischof Friedrich von Magdeburg und sein Domcapitel vereignen dem Kloster Lehnin das Dorf Möser und den Hof Pretzel, welche das Kloster von denen von Werder erkauft hat, am 1. November ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

CXCVI. Der Erzbischof Friedrich von Magdeburg und sein Domcapitel verzeihen dem Kloster Lehnin das Dorf Mösers und den Hof Pretzel, welche das Kloster von denen von Werder erkaufte hat, am 1. November 1446.

Fridericus, Dei gracia Sancte Magdeburgensis Ecclesie archiepiscopus, Primas Germanie. Ea que religiosis locis ad cristi obsequium deuotorum pietate conferuntur, perhennem fortiri conuenit firmitatem et ad futuri temporis memoriam deputari. Proinde notum fieri uolumus vniversis et singulis cristi fidelibus tam presentibus quam futuris, quod cum venerabilis pater Dominus Nicolaus Abbas, priorque et conuentus fratrum nostrorum Monasterii Beate Marie virginis in lehnyn ordinis Cisterciensis Brandenburgensis diocesis dilectis nostris et Ecclesie nostre ministerialibus et Vassallis Heidenrico de Werder ac filiis suis legitimis et naturalibus Nicolao, Alberto, Heidenrico et Conrado sexingentos auri boni renensis florenos legitime emptionis et venditionis via sub ea forma dedissent ac integraliter persoluissent, vt villam Moser et curiam Pretzel cum omnibus suis iuribus et attinenciis, quas ipsi Heidenricus et filii sui a nobis in pcheidung tenebant, quasque idem abbas et conuentus ab ipsis pro summa auri memorata rite comparauerunt, in ius et proprietatem monasterio predicto tradendas in manibus nostris resignarent; nos religionis, cuius in dicto Monasterio Lenynensi regularem obseruantiam vigere audiuimus, zelum habentes ac cultum diuinum inibi nostris temporibus ampliari, fratrumque ibidem deo famulantium quieti et commoditati prouidere cupientes per presentes Heidenricum et suos filios resignatas nobis uillam Moser et curiam Pretzel cum omnibus et singulis earum terminis et districtibus, fundis, campis, mericis, mansis et agris, siluis, lignetis, aquis, stagnis, piscaturis, aqueductibus, pratis ac pascuis, iuribus et iurisdictionibus ac directo et utili dominio quibuslibet etiam pertinentiis ac iuris plenitudine earundem de pleno consensu capituli nostri, recepta primitus a predicto domino Abbate trecentorum florenorum renensium summa, in ecclesie nostre Magdeburgensis subleuamen et restaurum, eis que in predictae ecclesie nostre euidentem necessitatem et utilitatem conuersis et expositis, ad Dei omnipotentis laudem ac intemerate virginis Marie gloriam tradidimus, contulimus, donauimus et appropriauimus Abbati et Conuentui Monasterii supradicti, presentibus quoque nostris litteris tradimus, conferimus, damus et appropriamus proprietate perpetua libere absque angariis et perangariis et quorumcunque seruitiorum grauamine tenendas, habendas et possidendas. Renunciamus preterea omni iuri atque Dominio nobis atque ecclesie nostre in eisdem bonis quomodolibet competentibus, ipsos abbatem et conuentum in earundem possessionem inducimus per presentes, iure tamen superioritatis in dictis bonis nobis et successoribus nostris ac ecclesie nostre retento, Ita uidelicet quod bona eadem in et sub ecclesie nostre districtu ac territorio debeant perpetuo remanere, volentes quoque eosdem Abbatem et Conuentum in dictis bonis ueluti ac quemadmodum bona ecclesie nostre propria protegere ac fideliter defendere. Vt autem nostra hec donacio ac appropriatio inconuulsa perpetuo perseueret, presentes nostras litteras desuper fieri nostrique sigilli fecimus appensione roborari, sub anathemate, ne quis illam quouis modo infringere audeat eamque quomodolibet grauare. Et nos Arnoldus treskow prepositus, Gerardus koneken decanus totumque capitulum ecclesie Magdeburgensis antedictae presentibus publice recognoscimus, nos reuerendissimo in cristo patri et domino nostro, domino Friderico archiepiscopo Magdeburgensi in premissis omnibus et singulis consensum nostrum plenum adhibuisse et adhibemus per presentes, in quorum testimonium sigillum capituli nostri ex certa nostra scientia presentibus est ap-

penfum. Datum Magdeburg, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, die omnium sanctorum.

Nach dem Lehn. Copialbuche des Geh. Min.-Archives.

CXCVII. Papp Nicolaus V. trägt den Aebten zu Lehnin und Berlin auf, gegen die Anhänger des Pseudopapstes gerichtlich einzuschreiten, am 6. September 1447.

Nicolaus V. Dilectis filiis Abbati Monasterii in Lennyn et in Berlin ac in Vecellariensi, Treverensi et Brandenburgensi diocesi ecclesiarum prepositis salutem etc. Exposcit debitum pastoralis officii, ut Romanus Pontifex nepharios malignantium excessus illorum presertim, qui tranquillum ecclesie Statum in varias periculosasque nisi obvietur procellas et turbationes impellere satagunt et Petri navicula fluctibus aperire moliantur, oportunis remediis reprimi ac, ne infra maliciam gloriantes alius occasionem malignandi prebeant, pro excessibus per eos commissis debite ultionis penam infligi faciat, nam ut canonice continent sanctiones in culpis, que in multorum trahunt iacturam, culpa est relaxari vindicta. Sane postquam nos nuper ex conquisitione dilecti filii nobilissimi viri Frederici Marchionis Brandenburgensis ac Sacri Imperii Electoris percepimus, nonnullos Archiepiscopos, Episcopos, Abbatem, Abbatissam, Prepositos, Decanos, Scolasticos, Cantores, Custodes, Thesaurarios et Canonicos tam Metropolitanium, Cathedralium quam Collegiarum, nec non Parrochialium ecclesiarum Rectores, Capellanos et Beneficiarios in suo temporali dominio et partibus illi vicinis constitutos, nostre seque voluntati et intencioni sue de obediendo nobis et Sancte Romane ecclesie conformare nolle immo eosdem post ipsius Marchionis declarationem pro se. re. Eugenio papa IV. predecessore nostro et deinde pro nobis et dicta ecclesia Romana factam, dampnatis viris Basilee sub pretextu generalis Concilii constitutis ac perdicionis alumno Amedeo olim Duci Sabaudie antipape notorie adherere, adhesisse, favisse et auxilium prestasse ac non vereri hodie eidem favere et auxilium prestare eorumque dampnata litteras et mandata recipere, illisque obedire in ainarum suorum periculum et Sedis Apostolice contemptum non modicum ac Scandalum plurimorum; Nos dicti Marchionis supplicationibus inclinati, et in premissis quantocius prout tenemur providere volentes, vobis, et cuilibet vestrum per se vel alium seu alios quocumque opus fuerit contra predictos omnes et singulos tamquam notorios hereticos et scismaticos nobis et dicte Sedi rebelles summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii sola facti veritate inspecta procedendi nec non eos et quemlibet eorum propterea tamquam excommunicatos, anathematizatos, Scismaticos et hereticos in ecclesiis sive locis sub quibus degunt publice denunciandi, nec non eorum personas, res et bona nobis ac Camere Apostolice confiscandi et si ad nos redire noluerint suosque excessus et errores relinquere, et ab illis in brevi termino per vos illis prefigendo resistere recuserint, personas eorum diris carceribus mancipandi et in pane et aqua doloris detinendi illosque et quemlibet eorum suis ecclesiis, dignitatibus, Monasteriis, Abbatissatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura privandi nec non eadem aliis personis idoneis auctoritate nostra conferendi et de illis providendi ac etiam dictis ecclesiis Metropolitanis, seu Cathedralibus de personis dicto Marchioni gratis et acceptis providendi illasque eis in Episcopos et Pastores proficiendi nec non curam, regimen et administra-